



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Regale Sacerdotivm

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, 1615

Cap. 1. Sacerdotes esse debent integri & sancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

DE PERFECTIO- NIBVS ET DOTIBVS IN- TERNIS.

CAPVT I.

SACERDOTES ESSE DEBENT IN-
regri & sancti.

Lib. 1. Ep. 1.
Sacerdotes
omni vitio
careant.



PORTET, ait Sanctus Cyprianus,
Sacerdotes & ministros qui altari
Sacrificijs deseruiunt, integros atque
immaculatos esse, vtpote cum olim
Dominus dixerit, Homo qui habuerit

maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad
ministerium eius: Ita porro credendum est, ac
que ideo omnis, cuius vita sancta non fuerit, in-
dignus est qui ad sacros ordines promoueat.

Leuit. 19.
Sanctus sit
qui Deo
seruit.

Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctifi-
centur ne percutiat eos. Euidens testimonium illi-
los Sacerdotes à Deo puniri mereri, qui animi
non sancta & impura illius ministerium ob-
eunt.

Sacerdos
qui vitium
aliquod
habet, in-
dignus est
qui Sacra-
menta ad-
ministret.

Homo de semine tuo, qui habuerit maculam, non
offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius.
Denotare hoc volebat, Sacerdotes qui vel tri-
nimū vitium prætulerint, ab altari excludendos
& indignos esse qui Deo in sancto Missæ Sacra-
ficio panem Angelicum offerant, & Sacramen-
ta illius administrent, & mysteriorum diuino-
rum exercitia peragant.

Leuit. 21.
In lege Eu-
angel. Sa-

Sancti erunt Deo suo Sacerdotes, ait Leuiticus,
cus, & non polluent nomen eius: incensum

nam Domini, & panes Dei sui offerunt, & ideo cerdotes sancti erunt. Idem omnino in lege Euangelica esse debent præcipitur, quæ omnes Sacerdotes perfectos esse debent se vult, cum ipsi æterno Patri sacrum illum Eucharistiæ panem, & precum Ecclesiæ incensum offerant; adeo vt qui sanctitate careant, sanctum Dei nomen polluant, eiusque mysteria profanent.

Iudas Machabæus postquam Lysiam, eiusque Sacerdotes exercitum profligasset, elegit Sacerdotes sine macula, voluntatem habentes in lege Domini. Egregium documentum, quo edocemur, illos qui in Sacerdotes electi sunt, quò Deo deseruiant, penitus sanctos esse debere, omni macula & næuo carentes.

Regius Propheta Ecclesiæ dignitatem præfagens, deque illius ministris sermonem instituens, ait, Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum. Non hic de lapidibus, columnis aut parietibus loquebatur, at verè de Sacerdotibus, quos omnimoda decet sanctitudo, quam diu in domo Domini, quæ est Ecclesia, versantur.

In veteri Testamento in Mosaico Tabernaculo, iussu Dei fabricata erant candelabrum ductile & lucernæ ex auro mundissimo. Fecit & candelabrum ductile de auro mundissimo, &c. Fecit & lucernas septem cum emunctoriis suis. Quo mysterio designatum fuit, Sacerdotes & Religiosos qui candelabra Ecclesiæ, & totius mundi lucernæ & lux sunt, ex auro mundissimo constare, id est omnigena virtute conuestitos & penitus sanctos esse debere.

In veteri lege cum Sacerdotibus suis Deus a-

Sacerdotes diſti ſan-
cti reges.
Exod. 19.
1. Pet. 2.

gens hoc eos nomine compellabat, Et vos eritis mihi in regnum Sacerdotale, & gens ſancta: quos eſt turba velut cæteris digniores ſelegi, & in domo mea conſtitui: Prophetica ſunt hæc verba & futura dignitatis prænuntia: præſagebat enim iam tum Dominus, futuros Sacerdotes, eſt plebeijs & gregarijs nobiles factos, in Eccleſia penitus ſanctos fore, & tot in illa futuros reges, quot Sacerdotes.

Cap. 18.

Aaron veſtimentis ſacris indutus erat, quando offerebat Deo,

In Exodo Moysi præcepit Deus, vt Aaronem fratrem eiusque filios veſtibus ſanctis indueret, quotieſcumque miniſterium diuinum peragerent, & Sacerdotij functione exercitioque fungerentur: *Facies veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron, & filiis eius, vt Sacerdotes fungantur mihi.* Veteres illæ cerimonix, quas Deus præcepit, denotabant, nouæ legis Sacerdotes, non iam veſtimentis, ſed virtutibus penitus ſanctis, aliquando cooperiendos, cum in Eccleſia ſacrificium viuificum immolarent: illa corporis inſignia ſunt, illæ animarum ornamenta & phaleræ.

Animal maculoſum Deo offerri non poterat.
Deut. 17.

Veruit antiquitus Deus, ne quis ouem aut bouem maculoſum, aut mancum immolaret huiusmodi ſe victimam abominari dicens deteſtari; *Non immolabis Domino Deo tuo uem & ouem in quo eſt macula, aut quippiam vitij, quia abominatio eſt Domino Deo tuo.* Deſignabatur hac lege, Sacerdotem Eccleſiæ, quotidie immolatur & immolat in ſacroſancto illo Miſſæ ſacrificio, qui que ouis eſt debet quoad ſimplicitatem, & bos quoad laborem; numquam coram Deo comparere, nihilque

illi offerre debere, si quod in eo peccatum sit & in anima vitium; hæc enim admodum abominanda sunt, diuinæque maiestati grauitè displicent.

Iudæorum Pontifex inter cetera quæ illi tempore initiationis proponebantur, hoc in primis erat, *Perfectus eris & absque macula cum Domino Deo tuo.* Idem, si fortè meministis, vobis o Sacerdotes dictum fuit, cum sacris ordinibus initiaremini, & in Sacerdotes vngeremini. Iniunctum sollempniter est & velut iuramentum à vobis exactum, quam diu viueretis, vitam vestram esse debere perfectam, integram, immaculatam, & quam diu coram magno illo Domino agetis, omni prorsus vitio vacare. Aequum igitur est, vt promissis steris, nec fidem frangatis.

Sacræ litteræ Absalomi pulchritudinem describentes, eo potissimam nomine illum commendant, quod nulla in eo esset macula, dicentes, *Porro sicut Absalom vir non erat pulcher in omni Israël, & decorus nimis: à vestigio pedis vsque ad verticem, non erat in eo vlla macula, &c.* Item quàm beatus Sacerdos ille est, de quo idem omnino dici potest; quàm inquam felix est, de quo huiusmodi decantari panegyris potest! Perfecta illius laus est, de illo cum dicitur, *Nullus est hoc Sacerdote vir in vniuersa prouincia melior; vita eius tora & vnica virtus est, à capite & primorum annorum principio ad vsque pedes, & finem senectutis, nulla in eo visa fuit macula vel minima, nihil reprehensione dignum in vita illius repertum.*

Mulier illa Sunamitis, viso magnū Prophetam Elizæū sæpius per opidū suum transire, eius vitæ

I. 4.

ratio

Deut 18.

Quæ sacerdoti sacro
proponerentur.Absalomo
nullus in
Israël pulchrior.

2. Reg. 14.

Sacerdotes rationem propius intuita ac mores, hominem beati sunt eum sanctum esse quam primùm iudicavit: *Amaduerto quòd vir Dei sanctus est iste, qui transiit ad nos frequenter.* Beati Religiosi sunt, & beati Sacerdotes, qui vitæ probæ & honestæ conuersationis exemplo omnibus occasionem dant bonam de illis opinionem concipiendi, & dum per plateas incedunt, credendi quod sancti sint.

4. Reg. 4.

Verba Ezechia ad Sacerdotes regni sui.

2. Par. 19.

Rex Ezechias regni sui clerum reformans omnes Sacerdotes & Leuitas vnum in locum congregatos, hisce verbis allocutus est; *Audite me Leuitæ, sanctificamini, mudate domum Domini Dei Patræ nostrorū, & auferte omnē immunditiā sanctuario.* Regia hæc verba Sacerdotib. demonstrabant, ipsorum esse sanctorum ritu modoque viuere, altaria & domum Dei emundare, & omnia peccata, immunditias, dissolutiones & Ecclesie corruptiones eiicere.

Ianitores constituti, qui impedirent ne quid immundum ingrederetur templum.

2. Paral. 25.

Scriptum est in libro Paralipomenon, Sacerdotem Ioiadam ianitores in domo Dei constituisse, qui impedirent diligenterque prohiberent, ne quis immundus in omni re domum Domini ingrederetur: *Constituit quoque ianitores portis domus Domini, ut non ingrederetur eam immundus in omni re.* Ianitores hi ad templi honorem conseruandum stabiliti, significabant quidnam immundi aut vitiosi in Ecclesiam ingredi nefas esse, & Sacerdotes qui peccatis inquinati sunt, quorumque vita penitus immunda est, in eam non admittendos. Vos igitur Præsules qui claves domus illius gestatis, illius Ecclesiam gubernatis, nefariis his ianuas occludite; sunt enim immundi, inquinati, & penitus impuri.

In Sapientia velut prophético spiritu prædictum legimus, annorum nostrorū hyemem sapientiae scholam esse, & *senilem ætatem, vitam immaculatam*. Presbyteri in sacra scriptura Sacerdotes appellantur, & oraculo illo prophético denuntiatur, ætatem & vitam illorum academiam quamdam virtutum esse debere, & ab omni illos vitio liberos & immunes, ac sanctorum & Deorum instar in Ecclesiæ ministerio occupatos, viuere oportere.

Beatus qui

Beatus vir, ait sapiens, qui inuentus est sine macula, cuius vita irreprehensibilis, & mores inculpati. Verè inquam beati Ecclesiastici, qui hodie sine peccato & vitio reperiuntur, qui modestam sectantur, quorum vita sancta penitus & immaculata est.

sine macula est.

Eccl. 3.

Hoc examinans Apostolus Paulus, & ad prædestinationis vsque materiam pertingens, hunc in modum locutus est, *sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate*. Sublimis hæc philosophia inferre vult, Sacerdotes prædestinatos esse, ut sint sancti corā Deo, & quamprimū ad ordinem sacrum promouentur, ad sanctitatem illos destinari, & eligi ut sancti sint & integræ vitæ coram diuina maiestate.

Sacerdotum sanctimonia præelecta.

ephes. I.

Idem quoque Apostolus discipulum suum Titum instituens, qui ad sacros iam ordines promorus erat, ait, *in omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate verbum sanum, irreprehensibile, ut is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*. Hæc scilicet genuina & vera sancti Sacerdotis imago est, ad viuum expressa.

Quomodo Titum Apostolus instituerit.

Magna Sa-
cerdoti
puritas ne-
cessaria.
Lib. 3 de
Sacerd.

Ioan. Chrysoft. de Sacerdotum puritate fer-
monem instituens ait, *Necesse est Sacerdotem si-*
esse purum, vt si in ipsis calis collocatus, inter ipsa
cali virtutes medius staret. Quasi dicere vellet
inter Angelorum puritatem & Sacerdotum mon-
ditiem nullum omnino discrimen inueniri de-
bere.

S. Augusti-
ni oratio
ad Sacer-
dotes.
Serm. 36. ad
presbyteros.
Esa. 52.
Luc. 8.

S. autem Augustinus Sacerdotes alloquen-
hac eos oratione compellat, in qua de ipsorum
puritate potissimum agit: *Bene munda manus*
oportet, charissimi, quæ maculas vasis alicuius mo-
mundi tollere conatur, ne si inquinata sit & pollu-
ta, ipsum magis inquinet. Propterea Sacerdotes
tissimi Dei, vobis dicitur, mundamini, qui fertis
vasa Domini. Vos enim & non alij estis, qui vasa
Domini fertis, & quibus datum est nosse mysteria
gni Dei. Dicere vult Sacerdotes, cum cælitus
terram destinati sint, ad aliorum peccata eluen-
da, ab omni macula & contagio immunes vire-
re debere.

Epitheta
Sacerdoti
necessaria
sanctitatē
testantia.

Sacerdotes Altissimi, ait idem eodem in loco
vos estis, sal terra, lux mundi, lucerna accensa,
uitas in monte posita, columna templi, arbores
entra in medio Paradisi plantata, patrum & recto-
res Ecclesiarum. Vos Angelorum socij, cali ciues,
ly Prophetarum, Patriarcharum cognati, demo-
Apostolorum successores. Estote igitur mundi, &
re mundi, vt dignè, sicut patres vestri, vasa Dom-
ni ferre mereamini; vasa inquã non tã aurea, vel
gentea, sed illa ad quæ redimenda, Christus mori-
luit. Omnes hi tituli notant haud dubiè mira-
lem sanctitatem statui & ordini Sacerdotali
cessariam.

Dispiciete vobiscum Sacerdotes, ait iterum

dem loco Augustinus, ac vobiscum considerate, Sacerdotes quales esse debeatis, ait enim Apostolus, Oportet sint irreprehensibiles. Episcopum sine crimine esse, tamquam Dei dispensatorem. Hoc verò non Præsules & Episcopos modò, sed ipsos etiam Sacerdotes respicit, quorum vita esse debet aded inculpata, nihil vt in illis appareat quod meritò reprehendi, culpari aut argui valeat.

Sanctus Prosper scribit dici non posse, quàm sancti esse debeant Sacerdotes, cum ipsi sint, qui velut noui quidam Aarones inceusum precum Deo offerant, illius maiestatem placent, iustitiæ rigorem impediunt, iram & iudiciorum illius furorem auertant. Cum ipsi per Dei gratiam fiant diuinæ voluntatis indices, Ecclesiarum Christi post Apostolos fundatores, fidelis populi ductores, veritatis assertores & defensores, falsorum dogmatum inimici, hæresum flagella, baptizatorum Patres, rerum cælestium præcones, spiritualium conflictuum duces, bonorum operum patroni, alphabetum virtutum, ac fidelium exemplaria. Excellentia hæc epitheta euidenter demonstrant Sacerdotum vitam angelicam & cælestem esse oportere.

O Sacerdotes, inquit S. Augustinus, si anima cuiuslibet iusti sedes est Dei, multo magis sedes & templum Dei vos esse debetis mundum & immaculatum; si sepulchrum illius gloriosum est, quòd corpus exanime asseruarit; quanto digniora & gloriosiora esse debet corpora vestra, in quibus Deus quotidie, postquam resurrexit, habitare dignatur, si beatus esse dicatur venter, qui nouem spatio mensium CHRISTVM portauit, credendum est, corda quoque vestra futura

Lib. 2. de
vit. con-
templ. c. 2.
Sacerdoti
necessaria
sanctitas
exprimi
nequit.

Magna pu-
ritas Sacer-
doti ne-
cessaria,
Isa. 12.

Luc. 11.

futura beata, in quibus quotidie Dei filius com-
moratur. Denique si fortunata sint vbera, qui
suxit paruulus, beatum haud dubiè esse debet
vestrum, quod quotidie sanctam illius car-
sumit, & pretiosum sanguinem fugit. Confi-
te igitur timore eius carnem vestram, & dili-
genter caute, ne lingua illa, quæ cælo ipsius
Dei filium euocat, contra Dominum loquatur
ne manus illæ, quæ sanguine Iesu Christi cinctæ
sunt, peccatorum & scelerum sanguine pollu-
antur. Vera sunt hæc omnia, & conclusiones
benè fundatæ, categoricèque ostendunt, Sacer-
dotes penitus sanctos esse, omnique carere
bere vitio.

Psal. 118.

*Aug. serm. 37
ad fratres in
erem.*

*Sacerdotes
Mose & E-
lia sint san-
ctiores.*

*Lib. 6. de
Sacerd.*

*Sacerdotū
manus Deū
quotidie
tractantes
esse debere
penitus
sanctas.*

Equidem, inquit S. Ioannes Chryostomus
crediderim eum, qui velut legatus pro ciuitate
tota, imo pro vniuerso terrarum orbe destina-
tus deprecatur, & qui supplicis ritu apud Deum
pro omnium hominum, non viuentium modo
sed mortuorum etiam scelerum remissione in-
tercedit, crediderim inquam, illum, quamuis
Moyse aliquis vel Elias esset, sufficientem, et
dignum non fore, qui tale negotium pro dig-
tate perageret, tantamque deprecationem im-
plicationemque Deo Patri offerret: Inferre
igitur vult, Sacerdotes, qui totius orbis ap-
Deum aduocati & patroni sunt, Moyse ipso,
Elia ac Prophetis omnibus, si quo modo fieri
posset, esse debere sanctiores.

Necesse est denique, inquit ibidem S. Chry-
ostomus, ut qui pro aliis deprecatur, tantum
omnibus illos antecedit, quantum æquum est
superiorem subditis præcellere. Cumque Sacer-
dos Prior ille generalis sit, qui Spiritum sanctum
inuoat, ac summum illud sacrificium
no

nore & reuerentia plenum, communi omnium Domino offert, quem semper in manibus habet; quo tandem in numero illum habebimus? quæ illi integritas necessaria? quanta ab eo religio petenda? Considera quales manus illas administrantes esse oporteat? qualem linguam, quæ verba illa effundit? Quid igitur in mundo ita purum & mundum esse debet; vt anima illa, quæ tantum, tamque admirabilem Deum ac mentem intra se suscipit? Hoc considerate Sacerdotes, statumque vestrum & dignitatem perpendentes, considerate diligenter, quales esse debeatis.

S. Gregorius Nazianzenus, Cassianus, atque Sacerdotum idem Chrysostomus testantur, tantam Sacerdotum puritatem esse debere puritatem, vt solarium radiolarum puritatem debeat transcendere, vt Spiritus sancti solatio instructus, dicere & gloriari cum Apostolo queat. *Vino ego iam non ego, viuit Lib. 12. c. 15. vero in me Christus.* Addunt insuper, Eremitis ipsius, qui in deserto vitam trahunt, mundoque nuntium remisere, purius & sanctius viuere debere. Ex horum igitur Patrum sententia, Sacerdotum dignitas esse debet ipsam Religiosorum & Anachoretarum puritate maior.

Luminis instar, habet idem Chrysostomus, vniuersum orbem illustrantis, Sacerdotis animus splendere oportet. Infandi & infelices igitur facis instar Sacerdotes illi, quorum vita hac ratione non rutilent. collucet, sed qui lampades emortuæ tedæ sine lumine sunt & merum Chaos tenebris repletum.

Antiquorum

In veteri lege iubebatur Sacerdos lauare prius vestimenta, quam ad sacra mysteria accederet. *ad sacrifici- cadu acco-*
64 in figura tanta obseruantia, quanta in veri-
tate?

dentium
puritas.

Exod. 19.

In quo Sa-
cerdotum
puritas
consistat.

Lib. de vita
contempl. r.

25

Sanctitatis
Sacerdota-
lis indicia.

tate. Disce Sacerdos atque Leuita, quid sit laudandi
vestimenta tua? vt mundum corpus celebrandi
exhibeas Sacramentis. si Iudaicos Sacerdotes
nefas erat ad hostiarum immolationem accede-
re, nisi lauissent prius vestimenta; audebit
non lota antè conscientia, imo ne corpore quod
dem, pro alijs deprecari, pro alijs victimam offerre?
Vtinam hanc Sacerdotes lectionem retinerent & ad æmulationem Iudaicorum vitam
melius instituerent?

Porro ipsa Sacerdotum puritas, dicente
Prospero, in eo consistit, si imperiositatem quam
dam & insolentiam non induant, sed humilitatem
consectentur, & omnibus sint communes & affabiles.
si fratrum infirmitates benignè per dulcium verborum
medicamina persanent, illos ad curandum perdifficiles
iudicant, virtute patientiæ & æquanimitèr tolerantes,
moribus & prædicationibus non suam ipsorum
sed Iesu Christi gloriam quærant, opera sua
verba laudum & præconiorum humanorum titulis
aut pretio vanè non venundent, sed ad Deum
Sacerdotaliter viuendo, quidquid illis tum honoris,
tum gloriæ accedere potest, ex animis referant.
Denique si prætereuntium saluationibus non gaudeant
inflati, non delectentur honoribus quos dare illis
proximus solet. Verum hoc exemplar, & viui vitæ
Sacerdotalis color sunt, cum humilitate scilicet
imperare, & aliorum infirmitates magna cum benignitate
sanare.

In eo verò Sacerdotum sanctitas consistit
subnectit idem auctor, si consolentur afflicto

atos, pascant egenos, vestiant nudos, redimant captiuos, suscipiant peregrinos; hincque sancti esse dignoscuntur, si salutis viam errantibus indicent, si desperatos ad bonam mentem reducant, si errantibus animos suggerant, si doceant ignorantes, denique si quæ eorum muneris sunt & quæ non sunt, magna diligentia sedulitateque docere satagant, & ipso facto exerceant.

Sanctitas
Sacerdoti
necessaria:

Ecquæ, ait eodem loco Prosper, vobis, o Sacerdotes sanctitas necessaria est, cum ministri verbi Dei, adiutores Altissimi, oraculum Spiritus Sancti sitis; per vos enim Deus placatur populo, populus instruitur Deo, per vos plurimi hæredes regni cælorum constituuntur, utpote qui Apostolorum estis successores: Cum igitur Deus sanctorum rex sit, eiusque coadiutores sint Sacerdotes, mundi que patroni, diuinæ sanctitatis omnes participare debent.

lib. 2. ad Hebr.
et cf. Cathol.

Cunctos, ait Saluianus Massiliensis, qui sacræ altaris suggestu eminent, tantum excellere oportet merito, quantum gradu & dignitate. Nihil enim in mundo haberi potest indignius, quam si quis ad honorum fastigia sublimatus, meritis sit infimis, quid enim est imperium meriti expers & vile? Quid honorum proderit titulus, vbi ipse defecerit homo? aut quid est dignitas indigni bumeris imposita, quam gemma moniliaq; luto canoue superstrata. Atque ideo necesse est, vt omnes qui ad sacros sunt ordines eleuati, tantum virtutibus & meritis eminent, quantum honore & culmine eminent & exstant.

Sacerdotes
omnes sanctitate antecellant:

Quorum verborum is est sensus, Sacerdotem, quem

quemadmodum in mundo dignitate primus est
& supremus, ceteris ita virtute antecellere de-
bere & merito.

De sac. alt.

myst. l. i. c.

9.

Sacerdotes

Deo & ho-

minibus

grati sint.

Sanctitate

ceteris

præstent.

Innocentius tertius Pontifex dicebat olim
tales esse debere Sacerdotes, vt & Deo sint gra-
ti, & hominibus accepti. Tales porrò eos reddat
virtus, per hanc enim fit vt placeant Deo, &
hominibus honorentur.

Ipse quoque Papa Hormisdas dicebat, *Emen-*
datiorem esse conuenit populo, quem necesse est
rare pro populo. Quibus verbis efficere volebat
Sacerdotem cui iniunctum ex officio est, pro-
niuersis terrarum orbis hominibus deprecari
ceteris etiam omnibus esse debere sanctioris
vitæque purioris.

Sacerdos

totus fit

sanctus.

De offic. l. 2.

de Sacerd.

Qui in erudiendis atq; instituendis ad virtutem
populis prærit, inquit S. Isidorus, necesse est
in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis
lis habeatur: qui enim in alterum paratus est de-
cere, carere omni vitio debet & omnis peccator
expers viuere. Primò enim se corrigat magis
necesse est, qui ceteros rectè viuendi voluerit
rationem ac methodum edocere: atque idcirco
cum toti vrbi esse debeat exemplar ac norma
tum doctrina illum, tum virtutum exemplum
virtutum studium debet excitare. Cùm igitur
Sacerdos omnium hominum doctor sit, & alios
erudire illi ex officio incumbat, ceteris omni-
bus sit sanctior ac purior oportet, atque vniuersis
virtute transcendat.

Sacerdotio

se indignū

iudicauit

S. Francisc.

M. Marulus

lib. 3 cap. 15.

Quanta res sit Sacerdotium, in eo ostendit
Franciscus, quod se indignum illo iudicans, nunquam
quam se promoueri sit passus, soloque diacono
tus officio quoad vixit, contentus fuerit. Cogit
tent igitur Sacerdotes, quæ sanctitas sibi & po-
fect

fectio necessaria sit; si suam Sanctus Franciscus dignitati imparem iudicavit,

Sit Sacerdos, ait Concilium Aquisgranense ex Magno Gregorio, in cogitatione mundus, actione precipuus, discretus in silentio, utilis in verbis, benignus in omnes, omnia considerans; humilitate bonorum socius; iustitiae zelo erga improbos seuerus. Is igitur Sacerdotio indignus est; cuius acta cogitataque immunda impuraque sunt.

Sacerdos sit purus in cogitationibus. Cap. 9. ex Greg. pastor. 2. p. c. 5. 6. 7.

Sic decet, ait oecumenicum Tridentinum Concilium, omnino clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque suos componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus; nihil nisi graue, moderatum, ac religione ac prudentia plenum praeseferant; exigua peccata; quae magna tamen in ijs esse videntur deuitent, ut ita eorum actiones ab vniuerso mundo honorentur. Hoc notate uelim Sacerdotes, simulque aduertite, si contra feceritis; honorem vos vestrum laedere, & magnam vobis ipsis iniuriam inferre,

Concil. Trid. sess. 22. c. 1. de refor. In Sacerdotu vita aliud non appareat quam modestia & sapientia.

Quin & idem Concilium decernit ac praecipit, tam sancte ac digne suam Sacerdotes vitam componere debere; omnes ut ab ipsis continentiae, humilitatis, modestiaeque mutuari exemplum possint. Vult insuper Episcopos in mensa ita sobrios esse, tanquam modestos in omni supellectile, ut tum in hac tum in reliqua vita nihil omnino appareat, quod non Apostolicam simplicitatem, Dei zelum, & vniuersalem omnium mundi vanitatum contemptum redoleat ac spiret. Omnis enim dissolutio, & quidquid honorem laedit, Sacerdote est penitus indignum.

Sacerdotum vita exemplo sit omnibus. Sess. 25. c. 1. de reform. Concil. Carth. 4. c. 15. d. 4. c. Episcopum Tolet. 4. Rhemens. African.

K

Con-

Sanctiores
sint Sacer-
dotes Ere-
mitis.

Isidor Pe-
lus. lib. 2.
epist. 284.

Sacerdotū
perfectio.

Concludo igitur cum magno quodam Do-
ctore, quoad sanctitatem Sacerdotum; illos qui
ad hoc officium vocati sunt, anachoretis ipsis,
& eremicolis esse debere sanctiores. Mea & illi-
us ratio hæc est, quòd illi non nisi sui ipsorum curam
salutis habeant, at Sacerdotes tam sui ipsorum
quam populi. Eremitæ in rupibus & antris ve-
uunt, suas plagas persanantes, peccata regentes
propria, & coronas sibi cælestes nectentes; at
Sacerdotes in theatro expositi sunt, atque om-
nes in eorum vitam & mores oculos suos con-
iecerunt. Quàm igitur indignum est improbes
videre Sacerdotes, cum & religiosi & anacho-
retis, & reclusi viuere deberent purius ac san-
ctius.

Sancti igitur estote Sacerdotes, & cogitate
Sacerdotem, qui minister & famulus Dei æteri-
ni est, esse debere à vitiis sequestratum, recto-
rem non raptorem; dispensatorem, non diffi-
patorem; pium in iudicio, iustum in consilio,
deuotum in choro, stabilem in Ecclesia, sobrium
in mensa, purum in conscientia, assiduum in or-
ratione, heroicum in contritione: sit in socie-
tate humilis, in læticia prudens, in agendi
promptus, diues in virtutibus, prudens in ver-
bis, & in prædicationibus verax. Hæc vos
dotes comparate, hæc perfectiones acquirite,
ita vitam vestram dirigite, atque tunc merita
vestra in æternum decantabo. Hæc è
variis de prompta sunt aucto-
ribus.

CAL